

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

6. Quàm malè Marcion, & Marcionitæ negauerint, Deo conuenire, vt reos plectat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

4 Cap. I. Deum, nec sine iustitia, bonum; nec, sine bonitate, iustum esse.

illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Inter spem & metum ergo viuimus; ut vtrinque vtrumque conseruetur. Metus facit, ne spes erumpat in temeritatem: spes cauet, ne metus degeneret in desperationem. Spem porrò incidunt judicia Diuinæ miserationis: metum iniiciunt cœlestis iræ, iustitiaeque exempla. Sic homo in æquilibrio incedit, & *mediotutissimus* it ad aeternitatem.

VI.

S. Chrysost.  
hom. 3. in E-  
pist. ad Phi-  
lém.

Tertull.lib.  
1. contra Ma-  
cion. cap. 25.  
Ibid. cap. 26.

Ioseph. lib.  
18. cap. 16.

Psalm. 9. 8.

Clem. Alex.  
3. Pædag. c. 8.

VII.

Theodore.  
part. 3. hist.  
Eccl. cap. 11.  
& 12.

Vnde clarum sit, quām grauiter hallucinatus sit Marcionita ille, qui idcirco bonitatem Dœ abrogabat, quia videbat, ab illo plecti delinquentes: quem proinde D. Chrysostomus meritò propria castigat. Quia in hæresi etiam ipse Marcion fuit, qui Dœ à Creatore distinguebat, quod hic, non ille plesteret, atque idcirco bonus non esset, immobilem, vt ait Tertullianus, ac stupentem Deum, consiliario Epicuro, commentus; cum tamen certum sit, vt idem addit, Deum non alias plenè bonum fore, nisi mali sit amulus; uti boni amorem odio mali exerceat, & boni tutelam expugnatione mali impleat. *Quis enim boni auctor, nisi & exactor?* Philippum Herodis Antipa fraterem, qui præfuit 30. annis Trachonitidi, refert Iosephus, quoties domo progrederetur, iter cum paucis selectis fecisse comitibus, subsequente sella, in qua jus reddere solebat; ac si quis ex occursum opem eius imploraret, sine dilatione, mox, sella posita, residentem caussas cognouisse, aut fontes damnaturum, aut absoluturum innoxios. Ad eundem modum Dœs paravit in judicio thronum suum; neq; enim aliter tueretur innocentes, aut impios à sceleribus auerteret, quām hac agrotantium animarum diata, vt ait Clemens Alexandrinus.

Itaq; non tantum bona est divina iustitia iniuriam patienti, sed etiam ipsi iniuriarum authori, quem vel sanat, vel coercet, ne magis insaniat. Est enim beneficium, alterum ab insania cohære, & obstat, ne magis insaniat. Theodore teste, Julianus Orientis Praefectus, iussu Iuliani apostata, cum alijs, templum Christianorum, ad sacra vasa diripienda, ingressus, sacrilegâ pertulantiâ, aduersus sacram aram, instar canis, minxit: Euzoio insuper eum ab impudenti facto prohibere conanti excusissimum colaphum infregit, dicens: *Res Christianorum divina cura ac prouidentia prorsus esse desitutas.* Hæc illi impietas non diu impunita fuit.